

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
à Festo || Pascæ vsque ad Aduentum in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

DE SANCTO ALBANO. EVANGELIVM Ioannis. 12.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150413

POSTILLA P. IOANNIS FERI
DE SANCTO ALBA
NO. EVANGELIUM

Ioannis. 12.

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis :
Amen amen dico vobis : Nisi granum fru-
menti cadens in terram mortuum fuerit,
ipsum solum manet. Si autem mortuum fue-
rit, multum fructum affert. Qui amat animam
suam, perdet eam. Et qui odit animam suam in
hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.
Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et ubi ego
sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi
ministrauerit, honorificabit eum pater meus.

EPISTOLÆ LOCO

Lectio Sapien. 4.

Senectus venerabilis est non diuturna, neque
annorum numero computata. Cuius autem
sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita
immaculata. Placens Deo factus dilectus, & vi-
uens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne
malitia mutaret intellectum eius, aut ne fittio de-
ciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis
obscurat bona. Consummatus in breui, expleuit
tempora multa. Placita enim erant Deo omnia il-
lius : propter hoc properauit eum educere de medio
iniquitatum. Populi autem videntes & non intel-
gentes, nec ponentes in præcordijs talia : quoniam
Gratia Dei, & misericordia est in sanctos eius, &
respectus super electos illius.

SER-

SERMO PRIMVS.

*De Sancto Albano.**Vox sanguinis fratris tui, clamat ad
me de terra. Gene. 4.*

DIui Albani festam diem peculiari quodam gratiarum agendarum modo hodie celebramus, quam ideo (vt æquum est) magis nobis propriam vindicamus, quo nobis præ cæteris S. Martyr viuens moriensque amplius est cognitus. De Nabuchodonosor Rege in Daniele legimus, quod licet impius, tamen in sanctis viris Dei mirabilia vidēs, in hæc verba erumpens clamauerit: Sidrach, Misach, & Abdenago, serui Dei excelsi, viui, egredimini & venite. Statimque egressi sunt Sidrach, Misach, & Abdenago de medio ignis. Deinde posito edicto decreuerit, vt omnis populus, & tribus, & lingua quæcunque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sydrac, Misac, & Abdenago, disperiret, & domus eius vastaretur: quod alius DEVS non esset, qui possit ita saluare. Hoc modo signa atque mirabilia quæ Deus in dilectis suis fecisset per omnem regni sui terram prædicans. Nabuchodonosor Rex (hic edicti tenor) omnibus populis gentibus, & linguis, qui habitant in vniuersa terra, pax vobis multiplicetur: Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa eius quia magna sunt: & mirabilia eius, quia fortia: & regnum eius regnum sempiternum: & potestas eius in generatione & generationem. Idem fecit & Darius seruato in lacu leonum Daniele. Cuius edicti hæc verba sunt. Darius Rex vniuersis populis, & linguis habitantibus in vniuersa terra: Pax vobis multiplicetur. A me ergo cōstitutum est decretum, vt in vniuerso imperio & regno meo tremiscant & paueant DEVM Danielis. Ipse enim est Deus viuens & æternus in secula, & regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vsque in æternum. Ipse liberator atque Saluator, faciens signa & mirabilia in cælo & in terra, quiliberauit Danielem de lacu leonum. Tales se Nabuchodonosor & Darius Reges penes signa atque prodigia Dei præstitere. Quod si impij Reges tam diligenti cura

Danie. 3.

Danie. 6.

S. 2

confi-

- considerauerunt prædicaueruntq; Dei mirabilia in sanctis suis, quanto magis nos id decet præstare, maxime Deo iam per se ipsum, iam per sanctos suos inter nos, ita magna illa mirabilia cumulat, ut fidenti animæ rectè liceat cū Dauid dicere: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. In Domino cōfiteatur anima mea, audiant mansueti & lætentur. Et: Laudate anima mea Dominum, laudabo Dominū in vita mea, Psallam Deo meo, quā diu fuero. Sic & Paulus facere consuevit: Vnde omnium Epistolarum suarum exordia cum laude Dei gratiarumq; actione posuit: hoc innuens, quod nulli mortaliū ynquā desit causa prædicandi Deū, si modo attendere libet. Hoc nunc exemplū nos quoq; sequamur, atq; cum Paulo initium dicendi sumamus dicentes: Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in cōlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionē, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionē filiorū per Iesum Christum, in ipsum. Hæc quemlibet vere piū decent. At nos peculiari quodā modo. Verē enim nos, nō vna aliqua, sed multiplici benedictione benedixit nos, imō omni spiritali benedictione. Principiō enim elegit nos, deinde etiam prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum in ipsum. Tertiō, gratificauit nos in filio suo dilecto. Quartō, redemptionē dedit nobis, condonans peccata secundū diuitias gratiæ suæ. Deniq; ipse quoque filius benedixit nobis in omni dono: cū verbum suum in doctrinam & cōsolationem: opera, in exemplum: miracula, in confirmationem: corpus, in cibum: sanguinem, in propitiationem: gratiam & spiritum, in auxilium cōtulit nobis, etiam gloriam suam in mercedem aliquando daturus. Et ne quid quod ad plenā salutem facere videri potest intermittat, ecce D. Albanū aliosq; Martyres dedit, ut hos respicientes spem conciperemus, ab impietate abstracti, ad iustitiam incitaremur. His enim tribus de causis Martyrum potissimum proponūtur exempla. Necessum igitur erit, aliquanto nos penitius, quā fortē alij, hanc præsentem festiuitatem consideremus.

Atq;

Atque ideo quidem exordio huius sermonis Dei, ad Cain verbis usus sum, quæ licet ad Cain fratricidâ impiissimum de interfecto Abel dicta sint, nos tamen quasi de D. Albano dicta vsurpemus. Id quod nemo miretur, collationem Albani & iusti Abel audiens. Nam cum Abel in primis, qui ex filijs Adæ Deo placuerunt, fuit, primus etiam morte iniqua occisus est: figuram & significationem omnium piorum & credentium habuit. Primo igitur ipsam Abel historiam audiamus, deinde singula in Albanum interpretemur. Habet ergo Geneseos liber, eiectam à paradiso Euvam concepissem, filiumq; peperissem, illique nomen indidisse Cain. Arbitrabatur enim ipsum fore, quem Deus promiserat. Propterea ait: Possedi hominem per Deum. Rursum deinde, concepit & peperit Abel. Fuit autem Abel pastor ovium, & Cain Agricola. Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoq; obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: Et respexit Dominus ad Abel & ad munera eius: ad Cain autē & ad munera illius non respexit. Iratusq; est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es, & cōcidit facies tua? Nōne si benè egeris, recipies? Sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit. Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Dixitq; Cain ad Abel fratrē suum: Egrediamur foras. Cumq; essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrē suum Abel, & interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio. Nūquid custos fratris mei sum ego? Dixitq; ad eū: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum & suscepit sanguinem fratris tui, de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos. Hæc illa Geneseos historia est. Sunt autem in ea quatuor consideranda. Primū: humanā naturam mox in primis Adæ hæredibus, primaq; propagine diuisam esse in bonum & in malum. Cain malus, Abel bonus erat. Quare significatum fuit, idem in successione omnium vsq; ad finem euenturum esse. Alterū quod Abel in primis Adæ filijs Deo placuerit, & à fratre

Gene. 4.

Sapi. 3.

Psal. 3.

germano præter omne meritum occisus sit : quo significatur pios quoslibet multa ab impijs passuros esse sine causa. Tertium: quod iustum Deus Abel etiam mortuum inultum non relinquit. Quo sane pie defunctorum animas in manu Dei esse, nec ullum eos mortis tangere tormentum docemur. Visi sunt oculis insipientium mori, & estimata est afflictio eorum exitus. Et ab itinere iusto abierunt in exterminium, & quod à nobis est iter exterminij. Illi autem sunt in pace: Et si coram hominibus tormenta passi sint, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum, Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundinetis discurrent. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquiescent illi: quoniam donum & pax est electis eius. Impij autem secundum quæ cogitauerunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt. Hanc ecce Sapiens de Impijs fert sententiam: pijs verò spem adauget vehementer. Quartò considerandum est, quâquam mortuo Abel solus Cain cum suo femine terram possideat, nouissimè tamen aliud quondam iusti Abel locum nasci: Quo docemur, licet piorum numerus exiguus sit, esse tamen aliquos pios in cætu hominum semper. Quæ omnia commodè huic festiuitati conueniunt. Principio ergo primo historiæ D. Albani intuitu mox Cain vnaquodque cum illo Abel sese offerunt. Qui enim Albanum occiderunt, semen impij Cain fuerunt, non natura sed imitatione, factorumque similitudine. Scriptura enim filios eius dicit, quem imitantur. Vt Iudei filij dicuntur Satanæ, non geueratione carnis, sed prauæ imitatione voluntatis. Zachæum verò filium Abrahæ Scriptura nuncupat, propter fidei imitationem. Sed & Christiani omnes Israëlitarum vocantur eadem ratione. Tum verò Albanus alter, quidam Abel multis rationibus non absurdè dici potest. Primo, quemadmodum Abel inferior fratre Cain & vilior habebatur, ita etiam Albanus noster

ster non magnæ alicuius autoritatis fuit . Secundò , vt Abel non ab alienis & ignotis sed à fratre Germano , & qui ipse quoque sacrificaret Deo , ita etiam Albanus nò ab alienæ fidæi , sed ab Arrianis , qui sibi maiore sanctitate placebant inter Christianos , trucidatus est . Tertiò : Quanquam Abel vilior fratre suo Cain reputaretur , nihilominus tamen ipse , cū suo sacrificio , Deo magis placuit , fratre suo eiusq; victimis . Eadem & in Albano ratio est . Quartò : quemadmodum nulla alia causâ Abel occisus est : nisi quod Deo placeret , ita quoq; Albanus . Quintò : quæadmodum Abel postquâ occisus esset , viuere tamē adhuc , à Deo testimonium accepit , ita etiam signa atq; prodigia de Albano , quod Deo viuat , testantur . Sextò , licet primus frater ipsius Abel , impius fuerit Cain , pius tamen postea fratrem Germanū habuit , nimirū Seth : ita hic quoq; multi licet primū in Albano scandalizati sint , postea tamē plurimi agnito errore cōuersi sunt , & emendati . His rationibus Albanus noster alter quidam Abel esse potest : ideo potissimum , quod æquē impios atque pios fratres habuit , vt Abel in ipso quondam rerum initio . De vtroq; igitur hanc Dei ad Cain vocē interpretari libuit . Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra . Vtiq; terribilis illa vox est impijs , admodum verò suavis pijs est . Videamus ergo quomodo iam non illa solum , verumetiam ipsa hæc festiuitas terribilis sit impijs , vt deinde quā sit pijs Deumq; timentibus grata , discamus . Principio , si historiam attendere licet , proculdubio Albanus , Cain , scilicet , persecutorem suum habuit , sed & etiamnum habet Cain quā sibi similiores . Id quod , si Cain naturam rectē cōsiderauerimus , faciliē videbimus . Primū enim quod ad externum habitum , satis se pius exhibuit Cain , dum ipsemet , sed sine fide , sacrificat . Et hæc prima impiorum natura siue proprietas est : hypocritis & ficta religio . Cor eorum longē est à me : testante Domino per Isaïam . Secundò , quamuis iuique mentis malitiam alto corde premeret Cain , tamen leuissimā causā permotus , eam prodidit , quod fratri irascitur : ita & impij omnes facillimē sese produnt , & quid mento gerāt , apertum faciunt . Tertiò : licet ab ipso Deo admone-

Gene. 4.

Isaï. 29.

Gen. 4.

tur, nihil tamen curat. Dixit enim Dominus illi: Quare iratus es, & concidit facies tua? Nōnne si bene egeris, recipies? sin autem malē, statim in foribus peccatum adderit. Sub te erit appetitus eius & tu dominaberis illius. Sed hanc Dei monitionem reiecit Cain. Quartō vehementer ira cōcitarus sanguinaria in fratrem crude litate scuit. Quinto cū à Domino corripereetur, excusare atq; negare studet, seq; vt Deo illufurus, defendit. Sextō grauius diuina sententia redargutus, nihil pœnitet, protinusque desperat. Septimō multis peccatis vndique sep-
tus, tantū externa quædam petit, vt profugus tutō habitare posset, ne interficeretur: cætera nihil curat. Postremō plusquā tutus exorato nempe Deo, abiit à facie Domini, oppidaque & munitiones, quantum potuit, firmat: securus vt habitaret. Hę sanē omnibus impijs cōmunes sunt proprietates. Sed quis non videt, in nobis quoque plurimos eius animi inueniri? Sic patres sequimur, vt semper impijs quā pijs similiore inueniamur. His ergo, quid hodie etiam, loquatur Deus attende. Vbi est Abel frater tuus? Ac si dicat: Hunc vobis o Moguntini virum in magna perturbatione, misi: nimirum Arrianis tumultuantibus, & cœlum terramq; miscentibus, qui, dum Christum Deum negarunt, in quo summa spei nostræ consistit, tutissimum salutis abstulerunt refugium. Illo, inquam, tempore hunc tibi, Moguntia, dedi. At vbi nunc frater tuus? Quando pro ipso gratias mihi reddidisti? Salutis eum tuæ prædicatorem dedi tibi: & quomodo audis eum? In ipso piæ vitę normam exhibui tibi, quomodo imitaris? In mortem dedi eum, vt ad similem te constantiam perducerem: & quid simile præstas? Has Dei voces & si audiremus in interiore homine, vtique ad preces gratiarumq; actiones commoueremur. Id quod rectē esset hanc festiuitatem celebrasse. Deinde impijs etiam diuina vox loquitur: Quid fecisti? Patres tui occiderūt Sanctos: tu vt, omnino men-
sura patrū impleatur, sanctos rides, ac calumnijs laceras. Persequeris odio, qui te meliorum admonent, paterneque præmonent. Eorū nominibus abuteris: quę ipsi refugerunt diligis. Vbi illi pietatis studia sectati sunt, tu im-
pie pecudumque more viuus. Quid fecisti? Quidq; facis etiam-

etiānum? Hanc sanè diuinam vocem si altius infigere-
mus menti nostrę, proculdubio lōge alia ratione ad Dei
cūm agnitōnem, tūm amorem accenderemur. Iam verò
adhuc aliud quiddam Deus subdit: nimirum etiānum sō
nare vocem aliquam: Ecce, inquit, vox sanguinis fratris
tui, clamat ad me de terra. Frater tuus Albanus cuius
facta atque exemplum respicis, aduersum te testificatur.
Sanguis illius: & in qua cubat, humus: clamat contra te.
Plurima testiu turba stant contra te. Et quis tanti clamō-
ris futurus sit finis, Cain te exemplum doceat. Quis no-
strum hæc intelligens non exhorrescit? Quis ab impie-
tate sua non desistet? Agē hæc Deus in tria verba con-
tracta omnibus pertinacibus hodie loquitur. Quod si nō
audierint, si nō attenderint, adhuc alia, & hæc quarta vox
restat: Maledicta sit terra in opere tuo: imò, quod terribi-
lius est, maledictus sis super terram, & quod terribilissi-
mum est, vagus & profugus eris super terram, nullusq;
apud Deum refugij locus tibi supererit. Ecce quā sint
impijs, Sanctorum festa terrifica. Proinde admoneo, &
præmoneo vos, vt prudentius agatis, & non tempora-
neis, in terris, sed spiritualibus in cœlis studeatis, hæc e-
nim sola salutē præstāt, sed & pœnitentiā agatis suadeo.
Væ enim omnibus, quibus his vocibus Deus loquitur.
Gratia Dei nobiscum. Amen.

SERMO SECVNDVS.

Quod Christiano homini, laudandi Deum nulla de-
sit occasio, maximè in diuorum memorijs, quando
diuina opera, quæ vel per seipsum Deus vel per
sanctos operatus est, proponuntur, superiore sermone tra-
ctatū est. Atque eā ob causam primū à laude Dei exor-
ditus sum sermonem. Sed quia præter festiuitatem ho-
die perdulce Euangelium audiuius, etiā hunc sermo-
nem à laude Dei libet exordiri, Pauli verba repetentis:
Benedictus Deus & pater dñi nostri Iesu Christi. Alia 2. Cor. 1.
verò Paulus hic ratione Deū benedicit. Principiū Deū
benedicit, qui nos in omni spiritali benedictione bene-
dixerit: hic verò, quod in omni nos tribulatione conso-
latur, vt possimus & alios cōsolari. Iustæ profectō ratios
nes, cur sine intermissione à nobis benedicatur Deus.
Quid enim præstantius à Deo expectare, quā bene-
dictio-

S s dictio-

Joan. 12.

ditionem & consolationem, eamque perfectissimam, possumus? Quod consoletur nos Deus, & quidem perfectissimè, ex Evangelica lectione didicimus. Quatuor enim sunt quæ humanæ imbecillitati grauius videtur. Primum est, sese negare suâq; vitam odisse. Hoc ne grave-mur: ecce consolationē Christus adiungit. Qui odit animā suam, inquit, in hoc mundo, in vitam æternā custodit eā. Secundò, quod grauat, est: pauperem Christū per Crucis ignominia sequi: Sed Christus huius causa etiā consolatur nos cū ait: Vbi ego sum illic & minister meus erit. Sed Christus per crucis ignominiam in gloriam patris ascendit. Tertiò & hoc graue nimiū videtur, Māda ta Dei operando implere, nullo interea cōmodo, tantū aduersa tollerare: Sed hac etiam parte non deficit Christus: Qui mihi ministraverit, honorificabit eū pater meus. Nullus profectò labor peribit inanis, hic licet optata laboris remuneratione nō fruamur. Quartò grauisimū hoc est, pro Christo ita & tēpore & causa exigentibus, mori: nihilominus tamē & huic morbo Christus medetur: Amen amē dico vobis, nisi granum frumēti cadens in terrā mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit, multū fructum affert. Ecce, quod verē de Deo dicatur, quod in omni nos afflictione cōsoletur. Id quod hodierno etiā festo clarum fit. Estq; illud ipsum de quo dicturū me esse promiserā. Superiore ergo sermone dictū est, quā merito diuorū festa impios homines cōterreant. Verē enim horrendū est, tot diuorū restē factorū exemplis propositis, adhuc tamen impietate sectari plurimos: doctoribus pijs erudiri, nulla tamē parte meliores reddi: Multa praeuntia pietatis exēpla videre, nullū tamen sequi. Horrenda sunt, inquam, blasphemiae illae, illusiones, impudicitiae, idque genus alia. Quorum etiam in numero sunt, qui festos dies risum habent, Sunt autem non pauci. Sanguinem illorum in caelo pro vindicta clamare, audiuitis. Cui quod in Zacharia scriptum est, domino dicente: Qui vos tangit oculi mei pupillā tetigit, cōuenire videtur. Sed de his antē audiui-mus: Nunc porro quam hae festiuitas pijs spē adferat, auscultemus. Licet enim habuerit Albanus noster, Cain haud ab similes, cū in vita, tūm & in morte, tamē virtu

Zach. 2.

tis

tis morumq; suorum ac fidei haud dubie imitatores habuit, habebitque modo. Hac ratione Iustus Abel, quantum ut natu maiorem ita etiam impietate crudeliore fratrem haberet Cain, timentem piūq; tamen alium adhuc post se, nempe Seth habuit, de quo parentes contentes dixerunt: Posuit nobis Deus aliud semen pro Abel, quem occidit Cain. Qua in re quatuor memoria hominum digna sunt consideranda, quæq; huic etiam festæ diei conueniunt. Primum: Licet impius Cain propagationi seminis sui vehementer studeret, breui tamen post, ipso diluuij tempore interiisse, cum ipsum tum propagationem suam omnem. Secundum: quam coram hominibus mortuus esset Abel, apud Deum tamen vixisse. Tertium, licet Abel nullos ex sese genitos filios paternæ imitatores fidei pietatisque reliquisset, vnum tamen, nempe Seth, post se inuenisse. Quartum denique, quam pro sua Cain impietate, diuinum quæ frater peragebat cultum sufferre nollet, postea tamen tempore E-nos, uoluit velit diuinos honores instauratos, nomenque Dei inuocari vidisse. Hæc omnia huic diei conueniunt. Principio, licet aliquandiu blandiente fortuna exultaret Albani hostes, non multo tamen post tempore compri-mebantur. Quæ prima piorum ex diuorum festis profluens spes est, nimirū cum considerant impiorum ferociam esse momentaneam. Vidi, inquit Dauid, impium su- perexaltatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce nō erat: quæsiui eum & non est inuentus locus eius. Imò quod magis feruntur in altum, eò propiore via ad interitum accedunt. Exemplo sunt, Pharaō, Saul, Antiochus & alij. Secundò: fides dicat, diuos etiam mortuos, tamen Deo viuere. Ego sum deus patris tui, inquit in Scripturis, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Quibus sanè verbis memorias horum patriarcharum etiam defunctorum coram Deo viuere innuitur. Vnde & Moses pro populo orans, horum memorias repetit dicens: Recordare Domine Abraham, Isaac, & Iacob seruorū tuorum, quibus iurasti per teipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. Et mox sequitur cōsequenter Placatus est

Gen. 4.

Psal. 36.

Exod. 3.

Exod. 32.

est

est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum. Vnde sanè defunctorum sanctorum memorias apud Deum vixisse colligitur. Hoc modo subinde in Prophetis loquitur: Protegam ciuitatem istam, vt saluem eam propter me & propter Dauid seruū meum. Sanè hic Dauid apud Deum viuere ostenditur. Simili modo, Abel dicitur viuere, quod sanguis ipsius de terra clamat. Sic & Albanus Deo viuuit. Atq; hæc piorum ex festiuitatibus eiusmodi consolatio secunda est. Hic enim consideramus nihil incommodare mortem pijs, tū quod perfecta huius vitæ fabula, meliora speremus. Scimus enim quoniā si terrestris hæc domus nostra dissoluatur, ædificationem ex Deo habeamus non manufactā, sed æternam in cælestibus. Tertiò, pauci admodum fuerunt licet, qui Albanum hic viuentem, vita fideque imitarentur, tamen vitæ ipsius candor ipso etiā mortuo prædicatur. Id quod pijs mentibus vehementer consolatorium est. Inde enim licet nihil magnum de pijs suspiciat hic mundus, fieri tamen, vt suo tempore ipsorū pietas beatitudoque innotescat, intelligimus ita planè, vt ipsi etiam hostes eorū aliquādo dicturi sint: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improprij: nos insensati, vitam illorum æstimabamus infamiam, & finem illorum sine honore: Ecce quo modo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est? Quartò: quam impij in vno Albano veram veræ fidei agnitionem ferre volebant, eam nunc per totum orbem videre & ferre coguntur. Omnes enim nos Christū non creaturam, sed vnigenitum Dei viui filium confitemur. In hoc enim omniū spes nostra posita est, hinc etiā nō minuendi sed augendi indices diuini cultus fiduciam cōcipimus. Id quod non minimā pijs mentibus consolationem adfert: vt quibus suo, Christi honos, magis cordi est. Hinc est quod Moses è libro viuientium magis deleri elegit, quā Dei nominis blasphemias audire. Et Paulus anathema esse Christo, quo multi et agnoscant & predicet Dei maiestatem magis voluit. Hoc sanctorum erat gaudium, quod in toto mundo per spiritum agnosceret, manifestandam esse Dei gloriam. Ecce quam credentibus festiuitas hæc, fiduciam adferat, Cuius vt participes simus,

Isa. 37.

2. Cor. 5.

Sap. 5.

Exod. 32.

Rom. 8.

simus, ita iustum Seth, de quo pauca quidem sed magnifica scriptura prædicat, imitemur, vt impij Cain sequuntur. Principio, quod in locū Abel datus sit, deinde quod Gen. 4.
 filium Enos genuit, qui primus cœpit nomē domini inuocare. Qualis autem Abel fuerit scriptura manifestat. Primò, Christo testante, iustus fuit. Deinde, diuinis honoribus corde atque opere institit. Tertiò, nihil mouetur iuniore se esse fratre, tantū si Dñm habeat, contētus. Quarto, licet irā fratris cognosceret, simplex tamē, nihil de ipso suspicatur mali. Quintò, & ipsam etiā mortē patiēter suffert. Huius in locū Seth nascitur, qui vehementer nobis imitandus est. Hæc enim ingenuē Christianis propria sunt: vt internæ externæq; iustitiæ studeant: Vt Dei amantē, ipsum reuerentur, ipsi credāt, in ipsum sperent, totaq; mente omnibus viribus diligant: Vt & proximū ament, vt patienter sufferant. His etiā inuocationē diuini nominis, & orationem addant. Hæc si nos cogitauerimus, erit haud dubiè hæc nobis pergrata festiuitas. Suauissimè em̄ Deus nobis loquetur: vbi est frater tuus Abel: Ac si diceret: Oculos imò & mētem eleua, & quò ille ascenderit cogita, vbi sit diligenter considera: Vtique in pacis tranquillo, securitate, æternaq; vita: imò in Dei manu. Hanc sanè si quis probe vocē audierit, in cœlestia æternaque mente exaltata, cum Psalmista dicens: Quàm Psal. 83.
 dilecta tabernacula tua Domine virtutū, concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Et: Quis dabit mihi Psal. 54.
 pennas sicut colūbæ, & volabo & requiescā, Et iterum: Hei me, quia incolatus meus prolongatus est, habitauī Psal. 119.
 cū habitatibus Cedar, multū incola fuit anima mea. Et cū Apostolo: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? In summa, sine intermissione ad futuram fœlicitatem anhelabit. Sed & postea dicentem audiet: Ecce vox sanguinis fratris tui. Sunt enim Sancti, fratres nostri. Quid verò iucundius? Melius enim est duos simul esse, quàm solū. Væ soli, quia cū ceciderit non habet subleuantem se. Deinde: Clamat frater tuus. Quid ergo clamat? Imitatores mei estote, sicut ego Christi. Clamat vita ipsius, ipsam sequamur. Clamat sanguis, vt discamus tolerantiam, inque aduersis exultemus. Clamat ergo Albanus noster, salutis nostræ desiderio. Si enim

enim sanctorum animæ aduersus impios vociferantur, haud dubiè pro pijs etiâ clamant, quod sine nobis in imperfectione sint, stola licet amicti sint, id est, quanquam animarum felicitatem obtineant, non tamen corporis. Vnde celeritùs vt se sequamur monent. Agite ergo caueamus, ne frustra clament. Optabilus est vtique pro nobis quâ aduersum nos clament. Gratia Deo nobiscum, Amé.

SERMO TERTIVS.

Psal. 65.

Venite & videte opera Dei, terribilis in consilijs super filios hominum. D. Albani in Ecclesia, maximè hoc in loco (scitis) hodie celebram⁹ memoriâ. Nec vos huc, ad illius cineres ideo accessisse, vt fidē vestram confirmetis, vitâ emendetis, dubito. Et quidē de eiusdem viri, aliorumq; sanctorū gloria dicere, præsens lectio Evangelica satis magnā occasionem subministrat. Ea licet brevis sit, si verba numeremus, verâ tamen viuendi formam, omnibus Christū imitaturis, exprimit. Præterea etiam, cuius autoritatis sint sancti dignitatisq; innuit.

Ioan. 12.

Qui mihi ministrat, inquit Christus, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Sed & qua honoris laurea in futuro seculo sint donandi, his exponit verbis: Qui mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus. Ecce quis hic dicendi campus apertus est? Equidem nescio, an quicquam maiori cum fructu in Sanctorum festiuitatibus doceri possit. Sed quia superioribus hoc Evangelium abundē satis declaratū memini, nunc Dauidi eam illâ vocē, qua ad cōsideranda, memorandaq; Dei beneficentissimi mirabilia exhortatur, explicandā mihi summā. Venite, inquit, & videte opera Dei, terribilis in consilijs super filios hominū. Non sine graui causa hac nos voce conuocat: Vtilissimū enim est Dei opera cogitare: contra verò neglectus ipsorū perniciosissimus. Nihil enim ea vehemētia Iudæis exprobari legimus, quā terrenarū sollicitudo, & operū Dei obliuio. Hæc enim eorum negligētia et obliuio ois ipsorū perditionis causa fuit. Vt qui confurgitis mane, ad ebrietatē sēstandā, & potandū vsq; ad vespērā, vt vino æstuetis. Cithara & lyra & tympanū, & tybia & vinū in conuiujs vestris, & opus domini nō respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Et

Isa. 5.

mox

mox pœnam addens, subdit: Propterea captiuus ductus est populus meus, & non habuit Scientiam & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit: Propterea dilatauit infirmus animam suam, & aperuit os suum absque vlllo termino, Et descenderunt fortes eius, perinde ac si diceret. Insan' amor vester, terrenarūq; studiū, nimiumq; reprehēibilis negligētia spiritaliū, in vitiōrū iniquitatēq; omnis seruitutē deiecerunt: Vnde etiam iusto Dei iudicio, subtractis temporaneis, post huius viæ erūnas in inferna detrudemini. Vera hæc nimirū Deo dictante sentētia, quā & in Iudeis, & in nobis cōperimus. Nā quod est tēporaliū rerū negotium, profectō alia de causa, præter eorum abusum & in spiritalibus propē deficiamus, nec fide firmi, nec deuotione pij: Idq; ideo solū, quod Dei opera minimē cogitamus. Cū igitur hodie egregium nobis factum, ipsum nēpe Albanum, hoc est, vitæ ipsius pietatem, doctrinę veritatem, fidei constantiam, in amore condoleſcentiam, in persecutione tolerantiam, in morte pacem, ponamus ob oculos, quæ sine omni dubio à Deo proficiſcuntur: non alienū à re facturum me esse confido, si omnes hic congregatos Dauidicis verbis admoneā: Venite & videte, inquit Dauid, opera Dei, terribilis in consilijs super filios hominū, præstantia enim, proponūtur, ne pigeat. Qæuris ergo quæ illa? Plurima quidē ad manum sunt, vnū hoc tū sufficiat: Terribilis, siue vt quidā legunt mirabilis Deus in cōsilijs super filios hominum. Vitam Albani perlegas, & verē dixisse Dauid intelliges. Principiō illis temporibus, ita fauuerunt Arrianorū furæ, vt nō modō simplices, verum etiam doctissimi, & quidē plurima orbis Christiani pars, ad fidei defectionē adacti essent. An non illud mirabile, imō terribile Dei iudicium fuit? Deinde ingentis quidē bonitatis diuinæ signum erat, in tanta omnium rerum perturbatione, quosdam in vera fide conseruatos esse, verū tamen terribile quid fuit tam paucos eius generis fuisse inuentos, qui & ipsi timere poterant, Pau- Rom. 11.
 li consilio, dicentis: Qui stat, videat ne cadat. In ipsum ergo Albanū, tū in hostes ipsius intuētes, deinde oculos ad vtriusq; partis Iudicē subleuant, bifaria, at diuersissima Dei opera intelligemus: gratiæ quidē in Albano, at irę in
 ipsius

ipſius hoſtibus: quorum poſterius timore incuit: prius
verò fidem confirmat, charitatemque meritò incendit.
At de paſſione pauca dicā. Scire delectat, quid Deus
in genere in ſanctis ſuis operetur? Dauid dicentem at-
tende: Domine, inquit, in virtute tua letabitur Rex, &
ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer. Deſiderium
cordis eius tribuiſti ei & voluntate laborum non frau-
daſti eū: præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis,
poſuiſti ſuper caput eius coronā de lapide precioſo. Vi-
tam petijt à te, tribuiſti ei, lōgitudinem dierum in ſecu-
lum ſeculi. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo, gloriā
& magnum decorem impones ſuper eū Domine. Quæ
proprie ac poſſiſſimum quidem de Chriſto dicuntur, ni-
hilo tamen minus de Sāctis Dei interpretari poſſunt, vt
qui vnum cū Chriſto corpus, per ipſum Reges ſacerdo-
tesq; facti, cum ipſo regnāt. Ergo opus Dei eſt huius tē-
poris, vt ipſos præueniat in benedictionibus dulcedinis.
Qua voce omnia cōprehendit, quæ ad vitam gratiæ per-
tinent. Attende verò quod non ſimpliciter dicit: benedi-
xiſti eum, ſed ait: præueniſti eū non vna aliqua benedi-
ctione, aut qualibet, ſed in multis, & in benedictionibus
dulcedinis. Sunt enim & corporis benedictiones qui-
bus ſæpe impij participant, nullo ſalutis ſuæ commo-
do. Benedictiones gratiæ nobis neceſſariæ ſunt, non v-
nica, ſed triplex: nimirum præueniens, adiuuans, & per-
ficiēs. Prima benedictio miſericordiæ, altera gratiæ, ter-
tia dicitur gloriæ. Hac triplici benedictione niſi cōlitus
ſuſcepta, terra noſtra fructū ſuum non dabit. Neq; enim
poſſumus bonū inchoare, niſi præuēti miſericordia: nec
quod bonum eſt facere, niſi gratiæ benedictio adiuuet,
nec perficere quod facimus bonū poſſumus, niſi impleti
gloria. Commodè verò benedictiones dicuntur dulcedi-
nis: quòd veram animæ dulcedinem, requiemque con-
ferāt: Sed ſolis pijs dantur. Impij enim corporali quodā
modo & tantum externè, nō in anima benedicuntur. De
his piorum benedictionibus pulchrè ſanè ſapiēs loquitur:
Iuſtum, inquit, deduxit per vias rectas, ſapientia Dei,
& oſtendit illi regnū Dei, & dedit illi ſcientiam ſanctorū,
honeſtauit illū in laboribus, & compleuit labores illius.
Hæ verè dulcedinis benedictiones rectę ſunt, quas aper-
tiſſimè

Pſal. 20.

Apoc. 5.

Triplex
benedi-
ctio.

Sap. 10.

tissimè omnes in Albano colligimus. Principio enim
 scriptura ait, Iustū deduxit dñs per vias rectas. Nō oēs
 huius participes sunt, Iustorū tantū hic fit mētio. At iu-
 stus principio sui accusator est, nec in operū suorū merita
 cōsidit, sed ex fide in misericordiā Dei viuūt. Deniq;
 etiam Iustitię adhæret: Eiusmodi ergo (vult sapiens) do-
 cuit Dñs. Ille enim ab iniquitatis spaciōsa via, ad iustitię
 veritatisq; semitā ducit, in eaq; cōseruat. Beatū hominē,
 quē ipse Deus hoc modo educit. Tutus enim & securus
 hunc Mundum perambulat, & hinc ad cōlestem æternā-
 namq; patriam transcendit. Vis autē beatitudinē eius
 quem Deus deducit, aut quæ Ducis Dei fides sit nosse?
 Dauidem audi: Diligam te Domine fortitudo mea, dñs
 firmamentum meū & refugium meū & liberator meus,
 Deus meus, adiutor meus, Et sperabo in eū. Principio
 ergo Deum fortitudinē suam propheta appellat. Ipse e-
 nim fortitudinem, qua benefacere inchoamus, confert.
 Est deinde firmamentum, qua pij in certamine persistūt.
 In ipso enim firmabitur & non flectetur. Domus enim
 super petram edificata cōsistit. Sed & refugium ille pio-
 rum est, qui dicit: Venite ad me oēs qui laboratis & onē-
 rati estis, ego reficiam vos. Est denique liberator noster
 Deus si fortior hostis præualuerit. Fidelis est Deus, Pau-
 lo teste, qui non permittet nos tentari vltra id quod pos-
 sumus, sed faciet etiam cum tentatione prouentum vt
 possimus sustinere. Ipse enim laborantium protector,
 Dauid dicente: Nisi quia Dominus adiuuit me, paulo-
 minus habitasset in inferno anima mea. Ad hæc & pro-
 tector Dominus dicitur, eorum nimirum, qui se timent.
 Vt rectē Isaias dixit: Erit (Dñs) in vmbaculum dici ab
 estu, & in securitatē & absconsonē à turbine & pluuiā.
 Ipse etiam cornu salutis. In ipso enim inimicos nostros
 vtilabimus cornu. Postremò: est & susceptor, deuictis
 hostibus, ex arena reuertentiū. Venite, inquit, benedi-
 cti patris mei percipite regnum quod paratum est vobis
 ab exordio mundi. Is ergo est iustū deducens. Et quem
 timebit? Hinc est quod omnē etiam lernam malorū per-
 uadant sancti. Sed per rectas vias deducit. Viæ domini,
 viæ rectæ: Sine vilius erroris impedimento ad vitā per-
 ducunt. Viæ Domini, viæ pulchræ: Sine macula enim

Psal. 17.

Eccli. 15.

Matt. 7.

Matt. 11.

1. Cor. 10.

Psal. 93.

Isai. 4.

Psal. 43.

Matt. 25.

T vllaue

vllāue iniquitatis nubecula, veram innocentiam sancti-
tatemque docent. Vię plene, multi enim requirunt atq;
ambulant eas. Vię plane rectam enim feclicitatem tribu-
unt. Iugum meū, inquit Dñs, suauē, & onus meum leue
est. Et quomodo dicit? Audi Dauid, id quoq; dicentē ti-
bi: Apud Dñm gressus hominis dirigētur, & viam eius
volet. Primò pijs ostendit viā salutis: deinde vult. i. de-
sideriū quo in viā salutis sibi cōplaceant, incēdit Domi-
nus: deniq; si fortē ceciderit, non collidetur: ipse enim
Dominus supponit manū suam, nimirum à gratia laben-
tes nō excludens, clementer lapsos erigens. Qua de re,
nēpe, quomodo deducat dñs iustos, in alio psalmo scrip-
tum est. Conuertit dominus, inquit Psalmista mare in
aridā, in flumine pertransibunt pede, ibi latabimur in ip-
so. Id quod olim factū esse meminim⁹. Eodē planē modo
quos suos agnoscit per baptismū ex Aegypto, peccati sci
licet seruitute liberat. Deinde: In flumine pertransibunt
pede, hoc est, ipse facit, quo inoffenso pede mundi huius
torrentē peruadant electi. Propterea in ipso latātur. Ter-
tiò: Animam meam ad vitam posuit, hoc est animā vi-
tam largitur. Quartò: Nō dedit in commotionem pedes
meos. Sed ne quis semet persuadeat, quasi sub hac domi-
ni tutela in ea viā ambulanti⁹ omnia pro arbitrio succe-
dant: addit: probasti nos Deus; igne nos examinasti, si-
cut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueū, po-
suiisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines
super capita nostra. Transuiimus per ignem & aquam,
& eduxisti nos in refrigerium. Introibo in domum tuā
in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt
labia mea. Attende quid dicat: Transuiimus, inquit, non
per aquā solam, vt filij Israēl: nec per ignem tantum, vt
tres illi pueri in Babylone, sed per ignē & aquā, hoc est,
per omnia aduersa: & sic eduxisti nos in refrigeriū. Talis
dux Deus noster est. Hæc omniam Albano videre licet.
Sequitur: Et ostēdit illi regnum Dei. Variē Deus grati-
am suam ostendit pijs: per prædestinationem, per voca-
tionem, per Iustificationem, & glorificationem. In præ-
destinatione enim cōducit suis regnum Dei, in vocatio-
ne promittit, in iustificatione arram eius dat, in glori-
ficatione ipsum confert. Ecce quæ sit benedictio, qua re-
gnum

gnum Dei Christus suis ostendit. Hoc ergo quoscunq;
sanctos laetificauit in omni tribulatione. Sequitur alia e-
tiam benedictio: Dedit illi scientiam sanctorum, scien-
tiam in qua, quam vel habent sancti, vel diuinis negotijs
quarunt. Scientia mundi terrena inquirimus, atque su-
perbimus. Scientia carnis voluptati seruiencia perquirat.
At sanctorum est, quæ Dei sunt querere. Et hæc sanè op-
tima est, cui omnes pij semper inhaeserunt. Sequitur ad-
huc alia benedictio: Honestauit illum, non in otio, quod
plurimū dehonestat, sed in laboribus. Non omnis labor,
sed honestus tantum laudatur. Quanquam enim pij in
laboribus suis dū in hoc mundo sunt ab impijs ridentur,
defuncti tamen in ipsis prædicantur, summamq; & apud
homines, & apud Deum gloriam consequuntur, ita pla-
nè ut ipsi etiam impij prorumpere cogantur: Hi sunt Sapien-
quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudi-
nem improprij. Ecce quomodo computati sunt inter fi-
lios Dei? Sequitur alia adhuc benedictio: Et compleuit
labores illius: hic in constanti perseverantia, ne desere-
ret eum: illic in gloria, ut in æternum exultaret. Vtrobique
fœlix complementum. Huc pertinet quod David Psal. 20.
ait: Posuisti super caput eius coronam de lapide pretio-
so. Vitam petijt à te, tribuisti ei longitudinem dierū in se-
culū & in seculū seculi. Magna est gloria eius in salutari
tuo, gloriam & magnū decorē impones super eum do-
mine. Hæc illa Dei, in Albano conspicua opera. Beatum
planè, cui tā proximus adest Dominus. O miseros nos, qui
nihil horum sentimus. Agite ergo Deū in his factis suis
magnificemus, præceturq; eū, ut & nos simili modo be-
nedicat: Imò ipsum imitemur Albanum, & nulla nobis
benedictio deerit. Sed iam aduersarij Albani respiciendi
nobis sunt, Nā & in his Dei opera sunt obuia, terribilia ni-
mis, ut nobis quoq; terrorē possint incutere. Imò verò
mera dei iudicia sunt. Principio enim quia veritas amo-
rē nō susceperūt, iusto Dei iudicio execrati sunt, deinde
etiā in ois generis vitia prolapsi sunt, maximè verò in eā
tyrannidem, ut magna crudelitate aduersus pios insur-
gerent. Ita enim ab initio consueuere impij: Gladium e-
uaginauerūt, peccatores intenderūt arcū suū, ut dericiant
pauperē & inopem, ut trucidēt rectos corde. Gladius eo-
rum

2. Tim. 2.

Psal. 36.

T 2 rum

rum intret in corda ipsorum & arcus eorum confringatur. Primò enim nihil aduersum pios possunt. Nullum consilium aduersus Dominum. Deinde & spiritualiter proprio peccato intereunt ipsi. Præterea sapenumero fit vt malum quod in alios direxerunt, in ipsos auctores recidat. Stat enim sententia firma, Exemploque A-

Prou. 11.

Pro. 1.

Isa. 3.

man & alij sunt. Hinc est quod sapiens ait: Propter
vicia peruerforum vastabit illos. Et: Comedit fructus
vix suæ. Et Isaias. Væ impio malo. Retributio enim
manum eius fiet illi. Hac ratione Dominus, consilij &
retributionis Deus dicitur, vt nihil vel de pœna impio-
rum, vel de mercede bonorū addutebitur ei. Vnde ait:

Deut. 23.

Ego reddā ultionē hostibus meis, & ijs qui oderunt me,
Fas sanguinē feruorum suorum vlciscetur Do

Pfal. 30.

retribuam. Et sanguine terrorem in hostes eorum. Propterea Psalmista ait: Diligite Dominum omnes sancti eius, quoniam veritatem requirit Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam. Abundanter sane corpore & anima. Ignem enim, & vermem, & gladium vtrunque scindentem habet, quibus pœnas hic atque olim infligit. Gemina enim contritione consumuntur. Tandemque ipsos ipsorumque complices arguet. Visitat enim iniquitatem patrum in filios. De qua malorum pœna pulchrè David loquens ait: Propterea destruet te. Id quod in genere dictum est: deinde euellet te, ab huius terræ possessione nimirum: & emigrare faciet, putatus è vita corporis: à tabernaculo tuo, hoc est, piorum consortio: & radicem tuam de terra viuuntum, id est, ad damnationem æternam. Ecce hæc sunt Dei aduersus impios opera atque iudicia, quæ diligenter considerata, nunquam obliuioni tradite, iuga memoria comprehendite, sedulo cogitate. Propo-

Pfal. 52.

Id quod in genere dictum est : deinde dicitur :
ius terræ possessione nimirum : & emigrare faciet, puta
ē vita corporis : à tabernaculo tuo , hoc est, piorum
confortio : & radicem tuam de terra viuentium, id est,
ad damnationem æternam. Ecce hæc sunt Dei aduer-
sus impios opera atque iudicia, quæ diligenter con-
siderata, nunquam obliuioni tradite, iuga memo-
ria comprehendite, sedulò cogitate. Propo-
sita enim nobis est vita atque mors.

Nostræ ergo salutî prospiciamus. Gratia Dei nobiscum. Amen.

IN